

**XXXIV**

IN EPICVREORVM DE DIIS ERROREM

*Strophe Alcaica*

Parcus deōrum cultor et ĩnfrequēns,  
Īnsānientis dum sapientiae  
Cōsultus errō, nunc retrōrsum  
Vēla dare, atque iterāre cursūs

Cōgor relictōs : namque Diēspiter,  
Īgnī coruscō nūbila dīvidēns  
Plērumque, per pūrum tonantēs  
Ēgit equōs volucremque currum ;

Quō brūta tellūs et vaga flūmina,  
Quō Styx, et invīsī horrida Taenarī  
Sēdēs, Atlantēusque fīnis  
Concutitur. Valet ĩma summīs

Mūtāre, et ĩnsīgnem attenuat deus,  
Obscūra prōmēns : hinc apicem rapāx  
Fortūna cum strīdōre acūtō  
Sustulit ; hīc posuisse gaudet.